

sed ubi illa est quam tu adduxisti tecum? **STR.** Iam faxo hic erit.
CH. Quid hic nunc agimus? **ST.** Eamus intro huc ad te, ut hunc hodie diem
luculentum habeamus. — **EP.** Ite intro, ego de re argentaria
iam senatum convocabo in corde consiliarium,
quod potissimum indicatur bellum unde argentum auferam. 160
Epidice, vide quid agas, ita res subito haec obiectast tibi;
non enim nunc tibi dormitandi neque cunctandi copia est:
adeundumst. senem oppugnare certumst consilium mihi.
i abi intro atque adulescenti dic iam nostro erili filio,
ne hinc foras ambulet neve usquam obviam veniat seni. 165

(...)

age nunciam orna te, **Epidice,** et palliolum in collum conice
itaque adsimulato quasi per urbem totam hominem quaesiveris. 195
age, si quid agis. di immortales, utinam conveniam domi
Periphanem, per omnem urbem quem sum defessus quaerere:
per medicinas, per tonstrinas, in gymnasium atque in foro,
per myropolia et lanienas circumque argentarias.
rogitando sum raucus factus, paene in cursu concidi. 200
PER. **Epidice.** **EP.** Epidicum quis est revocat? **PER.** Ego sum, **Periphanes.**
AP. Et ego **Apoecides** sum. **EP.** Et ego quidem sum **Epidicus.** sed, ere, optuma
vos video opportunitate ambo advenire. **PER.** Quid rei est?
EP. Mane <dum>, sine respirem quaeso. **PER.** Immo adquiesce. **EP.** Animo
malest.
A. Recipe anhelitum. **P.** Clementer, requiesce. **E.** Animum
advortite. 205
a legione omnes remissi sunt domum Thebis. **AP.** <Quis hoc>